

ipso substantiam creaturarū & exemplū
factorum, & figuram in mundo orna-
mentorum accipiens.

XXXV. Eadem uerba sunt, cap: 17
eiusdem libri. Et in cap: 6 lib: 3 sic scri-
bit: Vere igitur, cum pater sit Dominus
& filius uere sit Dñs merito Spíritus
Sāctus Domini apellatione signauit eos
Et iterum in euersione Sodomitarum
scriptura ait: Et pluit Dominus super
Sodomam & Gomorram ignem & ful-
phur, à Domino de cœlo. Filiū enim
hic significat, qui & Abrahæ collocutus
sit, à patre accepisse potestatem ad iudi-
candum Sodomitas propter iniquita-
tem eorum. Hæc Irenæus.

XXXVI. Tertullianus contra Pra-
xeam: Si te adhuc numerus scandalizat
Trinitatis, quasi non connexæ in unita-
te simplici, interrogo, quomodo uni-
cus & singularis pluraliter loquitur? fa-
ciamas hominem ad imaginem & simili-
tudinem nostram: cum debuerit dixisse,
faciam hominem ad imaginem & simili-
tudinem meam, ut pote unicus & singu-
laris?

XXXVII. Sed & in sequentibus:
Ecce Adam factus est, tanquam unus

B iiij ex